

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8459

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1189, 20 mai

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le roi Richard confirme les biens de Mortemer donnés par ses ancêtres, notamment, la vallée de Mortemer, les granges et des terres de Beauficel[-en-Lyons], de Bosquentin et donne 7 charruées de terre dans la forêt de Lyon, sur Nojeon-le-Sec (auj. Nojeon-en-Vexin), sur Puchay, et près de Bosquentin et d'autres plusieurs terres, droits, libertés, privilèges. Le roi confirme d'autres possessions au Roule, à Brémule, à La Mésangère ; à La Pommeraie, au Mont-Rôti, à « Hunvalle », à Port-Mort et à Vernon.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Langlois Charles-Victor, *Notice sur le cartulaire de Mortemer, Bulletin de la Société des Antiquaires de Normandie*, 1885, Appendice, n° 13, p. 111-114.
- b. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century, its History and its Cartulary*, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 13, p. 213-216.

Texte établi d'après b

[R]icardus Dei gratia rex Anglorum dux Normannie, Aquitanie et comes Andegavensis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, iusticiis, vicecomitibus, ballivis, ministris et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis antecessores nostros fundasse abbatiam Mortuimaris de ordine cisterciensi in honore sancte Dei genetricis semper virginis Marie pro salute sua et antecessorum et successorum suorum et pro salute sua et antecessorum et successorum suorum et pro stabilitate et pace tocius terre sue. Nos quoque huic abbatie et monachis in ea Deo servientibus confirmamus quecumque tam ex nostra quam ex antecessorum nostrorum donatione possident, videlicet totam vallem Mortuimaris usque ad terras de Lisors et grangias et terras in landa de Belfuissel et apud Bosquentin omnes terras istas ad libitum suum excolendas. Dedimus etiam eis septem carrucatas terre unamquamque scilicet carrucatum sexaginta acrarum ad perticam regiam que est pro mensurandis essartis de Leons. Has autem septem carrucatas terre dedimus eis in foresta nostra de Leons, scilicet, supra Nogionem Siccum et supra Puceium et quandam partem iuxta culturas grangie sue de Bosquentin. Preterea concedimus eis ad luminaria ecclesie omnia vasa apud quecumque fratres eorum invenire poterunt per totam forestam nostram de Leons, pasturas etiam suas et pasnagia et omnia aisiamenta sua in omnibus sibi necessariis tam edificiis agendis quam ceteris actionibus suis per totam eandem forestam libere et quiete in perpetuum (sic). Concedimus etiam eis et in perpetuum confirmamus libertatem et quietantiam a theloneo et passagio et pontagio et pedagio et omni alia consuetudine in omni loco potestatis nostre tam in terra quam in aqua de omnibus rebus quas emerint vel

vendiderint vel deportare fecerint ad proprium opus suum. Concedimus quoque illis et in perpetuam elemosinam confirmamus ad eos hospitandos et suscipiendos et ad eorum negotia tractanda apud Rothomagum Hugonem filium Achardi super renellam tam ipsum quam heredes ipsius et domum suam cum omnibus pertinentiis suis. Dedimus etiam eis duas masuras in perreio Deupe liberas et quietas ab omni censu et consuetudine seculari ita quod homines sui qui manserint in illis habeant libertatem et quietantiam de omnibus consuetudinibus et serviciis secularibus per omnem terram nostram citra mare et ultra tam per terram quam per aquam. Preterea concedimus eis et confirmamus quecumque ex aliorum iusta possident donatione vel emptione, grangias scilicet suas, Rollum, Bremuliam, Mesengeriam, Pomereiam, Montemrosti, grangiam de Hunvalle cum omnibus pertinentiis earum, domos suas in valle de Portmort et vineas in eadem valle, et apud Vernonem masuram unam et vineas sicut carte donatorum vel venditorum rationabiliter testantur. Volumus itaque ut hec omnia predicta habeant et in elemosinam perpetuam teneant in pace et libere et quiete et integre et honorifice. Et precipimus super forisfacturam nostram ne quis super his aut super ulla re que a nobis vel ab antecessoribus nostris eis collata fuerit aut concessa eos inquietare vel quamcumque molestiam eis inferre presumat quia tam ipsos quam que eorum sunt in manu nostra sicut propria et dominica retinuimus et in nostra defensione illos semper habemus nec sufferre ullatenus possemus si quis eos vel bona ipsorum vexaret, turbaret seu quocumque modo minueret aut libertates a nobis vel ab antecessoribus nostris illis concessas interdiceret. Testibus : B. Gantore archiepiscopo, Waltero Rothomagensi archiepiscopo, Henrico Baiocensi, H[ubertus] Saresbirensi, G[ilbertus] Roffensi, Iohanne Ebroicensi, episcopis ; Iohanne fratre nostro comite Moritonii, Willelmo Marescallo, Willelmo filio Radulfi, senescallo Normannie, Roberto de Harecort. Data per manum Willelmi Eliensis episcopi cancellarii nostri apud Rothomagum, XX die maii anno primo regni nostri. Is erat tenor carte nostre in primo sigillo nostro, quod quia perditum fuit et dum capti essemus in Alemannia in aliena potestate constitutum mutatum est. Innovationis autem huius testes sunt hii : Walterus Rothomagensis archiepiscopus, Philippus Dunelmensis episcopus, comes Iohannes frater noster, Willelmus Marescallus ; Gaufridus filius Petri, Hugo de Gornai. Data per manum Eustacii Eliensis episcopi apud sanctum Georgium de Balcherii villis, .XVI. die maii anno regni nostri nono.